



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum de iudicibus querelaru[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

dente Magistro Cæremoniarum vt moris est ad Illustrissimum Metropolitanum, de ipsius manu subsequenti decreta accepit, quæ ascendens ambonem alta voce pronunciauit.

Decret. de Iudicibus Querelarum.

NOS Carolus &c. Cognoscendis, & audiendis querelis, & controuersijs, & accusationibus item, si quæ contra quoscunq; in Concilio deferantur, Reuerendissimos Episcopos Cremonensem, & Bergomensensem, & Reuerendos Dominos Audouenum Ludouicum Vicarium nostrum Generalem, & Paulum Granucium Vicarium Verceilensem de consilio & assensu Reuerendissimorum Patrum Coepiscoporum nostrorum præficimus. Quas accusationes & querelas delatas ipsi audiant diligenter, & ad nos in Concilio referant: controuersias autem antequam hic ipsum Concilium de more dimittatur, vel componere studeant, vel ex compromisso ad arbitros reijciant; vel ad nos in Concilio referant. Quod si quæ fortasse accusationes aut querelæ sunt contra eos ipsos, quibus harum rerum cognitionem delegamus, earum cognitores constituimus Reuerendissimos Episcopos Dertonensem, & Alexandrinum: qui antequam hæc ipsa Synodus dimittatur, eas vel componere, vel ex compromisso ad arbitros reijcere, vel re omni ad nos in Synodum relata, definire studeant.

Decretum de ferijs congregationis publicæ.

Omibus & singulis edicimus, congregationem generalem in Archiepiscopalibus nostris ædibus, loco ad eam præcipue habendam designato, futuram singulis his ferijs, secunda, quarta, sexta, & alijs præterea, si quæ tabellæ publicè affixæ indicentur & significabuntur, signo etiam campanæ maioris, quod statim eo tempore in Metropolitana Ecclesia dabitur.

Lectis his duobus decretis, Cancellarius ex ambone rogauit sententias Reuerendiss. Patrum. Tum descendens, vnâ cū

Pars III.

Reuerendis Promotoribus sigillatim omnium sententias ordine rogauit. & cum omnes simpliciter, Placet, respondissent, Illustrissimo Domino Metropolitanano de more retulit. qui dixit: Decretum placuit omnibus Deo propterea gratiæ agendæ sunt. & Responderunt Patres, Deo gratias: & ideo de suggestu de ipsius Illustriss. mandato hoc enunciauit; Decreta modò lecta placuerunt Patribus, de eorum igitur assensu ita illa statuimus vt lecta sunt.

Iterum R. Promotores in sessionem veniunt, & instant pro prouocatione faciendi in hanc sententiam.

Instantia Prom. de vocan. Reuerendiss. Episcopis & cæteris.

Illustrissime & Reuerendiss. in Christo Pater, & Domine Metropolitanus. Hic est decimus dies Maij, quo legitime moniti Reuerendiss. Episcopi Prouinciæ, & cæteri omnes quorum generatim, vel speciatim interest, huic sextæ Synodo Prouinciali interesse debent: ideo instamus & requirimus, vt omnes & singuli Reuerendissimi Episcopi qui ad sunt, & qui adesse quomodocunq; debent, nominatim vocentur, & alij item, qui inuitati sunt. Testes etiam Synodales, & alij item quorum interest.

Audita Promotorum instantia Illustriss. D. Metropolitanus decreuit de suggestu Reuerendiss. Episcopos, & alios supra requisitos nominatim per Cancellarium vocandos esse, vt infra.

Vocantur Reuerendissimi Patres Domini Episcopi, qui huic sacre Mediolanensi Synodo Prouinciali interfunt, & interesse debent. Qui ordine singuli nominatim vocati, ita sigillatim respondebunt, Adsum.

Vocatio Reuerendissimorum Episcoporum.

Reuerendiss. D. Episcopus Dertonenfis antiquior. respondit. Adsum.

Reuerendiss. D. Episcopus Auenens. eius nomine Procurator. Respondit. Adsum.

✕ 3 Re-